

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0838

0836

0842

0832

0847

0827

0887

0787

0937

0737

0337

Ende

Anfang

265

dedit legionibus cum fulgurante hasta, ut redirent et insultum denuo iterarent, et ita dato signo nusquam comparuit: nec dubium, quod Michael princeps christiani exercitus fuerit, vel ut Legenda Lomb. dicit, sanctus Georius miles erat, resuscitatus in adiutorium exercitus christiani, sicut olim Mercurius contra Julianum Apostatam et ejus exercitum fuit resuscitatus, ut ecclesiastica habet historia. Quo signo viso noster exhilaratus est exercitus et majori animo ad impugnationem rediit urbis tanto fervore animorum, ut qui fessi et laboribus fracti ac vulneribus laesi et debiles prius operam subtraxerant, nunc receptis animis ultro se offerentes instabant animosius. Tantaque excitata est in castris nostrorum laetitia, ut jam quasi certi de victoria infra unius horae spatium vallo complanato et effracto antemurali ad moenia machinas propinquius duxerunt, sub quibus se continerent, ne lapidibus de muris jactatis tangi possent, et de quibus ipsi ad murum accedere possent. Illo enim tempore nondum inventum fuerat terribile bombardarum tormentum, quod quidam, ut dicitur, theutonicus adinvenit circa annum Christi 1360., sed solum machinas ad jactandum saxa grandia habebant. Fecerant autem nostri bellatores grandem sportam et altam, quasi castellum, et eam terra et lapidibus repleverant, et quicumque retro eam stabat, securus erat a missilibus de muris extantibus et stabat sporta vel praesidium illud super rotas et ductilis erat. Hoc ergo praesidium paene usque ad murum admoverunt. Porro hostes procerae magnitudinis arbores ad murum suspenderant, ut machinarum ictus eliderent, quarum duas nostri, qui erant in praedicto praesidio vel castello praecisis funibus, quibus erant ligatae, dejecerunt ad terram. Quo cognito dux Gothfridus qui in ea parte urbem impugnabat, sursum in castellum dictas trabes ferri praecepit, quibus ex una parte in machina et altera super murum locatis vicem pontis praebuit. Ponte igitur sic ordinato primus omnium vir illustris dux Gothfridus cum fratre suo Eustachio ingressus est urbem, post quos multi alii secuti sunt, et stabant super murum extensis vexillis cruce signatis tubisque concrepantes ad advocandum legiones. Quod hostes videntes muros et turres deseruerunt, et omnes armati (B) eorum ad atrium templi, quod dicitur